et multo ampliora, ore facundissimo declamavit. Moverat ibi
multis in lacrimas resolutis [illegible] que singularum planctibus
in auditu legentis in hoc eis doctor egregius remissionem omnium
condonat peccatorum. si renunciatis omnibus que possidebant crucem
post Christum unanimiter portantes periclitantibus christianis ferrent
auxilium. Qua sponsione arrectis animis omnium designata
sunt ad presens in Domini miliciam circiter c. milia virorum ex Aquitania scili-
cet atque Normannia. Anglia. Scotia et Hibernia. Britannia.
Galicia. Wasconia. Gallia. Flandria. Lotharingia. ceterisque
gentibus christianis quarum nunc minime occurrunt vocabula. Crucis
signaculum in vestibus idem vere crucifer exercitus ob mortificatio-
nis preferebat commonitorium. credens in hoc iuxta visionem mag-
no quondam Constantino revelatam ab inimicis crucis Christi se triumpha-
turum. Mira autem et inestimabili divinitatis dispensatione tot
Christi membra linguis. tribubus et nationibus differentia subito in
unum Christi caritate conglutinata coaluerunt corpus. uno omnes sub Christo
rege. sed singulis singule gentis prelati ducibus Gotefrido scili-
cet Lotharingiensi suisque fratribus Baldewino et Eustachio. Ruperto.
Flandrensi. item Ruperto Normannico. Reginmundo comite de
sancto Egidio. Hugone fratre Philippi regis Gallie. ceterisque eiusdem in-
dustrie. nobilitatis. atque fortitudinis bellatoribus. Quibus omnibus
venerande sanctitatis et sapientie virum Ademarum episcopum Podiensem apostolice
[illegible] vice ligandi solvendique potestatem a beato Petro [illegible]
[illegible] hereditatem sua iure semper exercendam concessit. insignitumque
celestis milicie singulare exercitum apostolica benedictione [illegible]
condicto ab invicem [illegible] tempore profectionis ipse cum non modica eiusdem ex-
peditionis turma Italiam rediit. Regressis denique singulis ad
propria reversis. predicata eis [illegible] mox orbe cunctum hec fama
commovit. insuper quod dictu mirabile est ipsi oceani limites ne-
[illegible] conferta supervolans insulanique classibus maria ipsa in
celestis regis miliciam redundare fecit. [illegible]
[illegible] tam ignotos effudit oceanus populos cum non dicam mores [illegible]
sed nec loquelam quisquam huius litoris habitator [illegible] de ipsis [illegible]
[illegible] cognosceret. [illegible] nihil [illegible]

Jena U.B. Bos. q. 19, fol. 186v

lerant. Hac de causa securitate accepta non pauci lectissimorum
militum babyloniam diriguntur. quorum fortitudine. proceritate. habitu.
et incessu. omnique elegantia attoniti barbari. francos. sic enim uni-
uersos occidentales proprios nominare solent, plusquam homines.
idem deos esse fatebantur. affirmantes omnino non esse mirum quod huiusmodi
bellatores totum affectarent sibi subicere mundum. Inito denique
consilio. rex babyloniȩ hierusalem obsidet. ostensisque legatis. francis
se federatum affirmat. quorum gladiis si sibi ciuitatem non traderent
ipsos tradendos minitat. His itaque dolis rex barbarus non suo. sed
francorum timore ciuitatem receptam. dimissis cum suis omnibus thur-
cis. omni conatu. machinis atque militibus contra xpistianorum aduentum
premunivit. sicque factum est. ut hierusalem bis uno caperetur anno.
primo a sarracenis. dein a francis. De hostibus uero ibi repertis quid actum
sit siquis nosse quaerit. sciat quod in porticu quȩ dicitur salomonis et
in templo eius uictores equitabant in sanguine sarracenorum usque ad
genua equorum. Deinde cum ordinatum esset qui ciuitatem retine-
re deberent. et alii amore patriȩ. et pietate parentum suorum
redire uoluissent. nunciatum est eis quod rex babyloniorum ascalo-
nam uenisset cum innumerabili multitudine paganorum duc-
turus francos qui hierosolimis erant in captiuitatem. et expug-
naturus antiochiam sicut ipse dixerat. aliter autem dominus de his statu-
erat. Itaque cum in ueritate comperissent hi qui hierosolimis erant
exercitum babyloniorum ascalone esse. contenderunt obuiam illis.
relictis sarcinis et infirmis suis in hierusalem cum presidio. Cumque
hostium exercitum conspexissent innumerabilem. genibus flexis
deum inuocauerunt. ut qui in aliis sibi necessitatibus semper affue-
rat. in presenti bello confractis uiribus paganorum et diaboli. regnum
xpisti et ecclesiȩ a mari usque ad mare usquequaque dilataret. Nec mora.
clamantibus ad se deus affuit. atque tantas audaciȩ uires mi-
nistrauit. ut qui eos in hostem currere uideret. fontem aquȩ
uiuȩ sitientem ceruum segnem adiudicaret. miro uidelicet
modo. cum in exercitu xpistiano non plus quam .v. milia equitum et xv.
peditum fuissent. et in exercitu hostium centum milia equitum.
et .cccc. peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis

Jena UB. Bos. q. 19